


05

A

495







QUÆSTIO-
NES METAPHY-
SICÆ,

Quarum

Auspicijs SS. Trinitatis.

In inclytâ Academia VVitebergensi

PRÆSIDE

M. IOANNE LIPPPIO

Argentinenſe Alfato.

Rationem redditurus eſt

IOANNES PELARGUS

Francof. Marchicus.

*Februarij 18. In aroaterio Philoſophico ho-
ris à 6. matutinis.*

VITEBERGÆ

Typis Cratonianis, per Iohan. Gorman.

Anno 1609.



REVERENDO ET EXCEL-
lentissimo Viro

DN. CHRISTOPHORO
PELARGO SS. THEOL.
Doctori & Professori Publ.
Ecclesiarum totius Marchiæ
Superattendenti generali,
Dn. Parenti suo omnibus ob-
servantiæ & pietatis officijs
prosequendo & honoran-
do.



*Hasce primitias suorum studiorum
in debita observantiæ τεκμήριον,
inscribit, offert &
dedicat*

05 A 495

Autor & respondens.



QUÆSTIO I.

Utrum D E U S sit externum principium omnis
Entis ? Astruimus.



E cœlesti illâ & aternâ Majestate quid sit age-
re, nobis hîc non propositum; utpote cujus notitia non ha-
bet circumseptam regionem: infinite enim patet, quoniã
ipse immensus & infinitus. Proinde de eo, non ut in se est,
sed ut Principium & Finis omnium rerum, hanc suscipim9
διατριβήν. Deum autem Opt. Max. fontem
esse rerum omnium, satorem seculorum ac temporum, constitutorem modera-
toremq; cunctorum, quis ibit insidias nisi blasphemè qui impius? Quis igno-
rat, quod omnia hæc quæ sunt, manus Domini fecerit? Job. cap. 2. v. 9. Quis
ipsi fuit à consilijs, aut quis prior dedit ei ut reddat danti: quoniam ex ipso,
per ipsum, in ipso sunt omnia, Paul. ad Rom. c. 11. Ethnicus Aristoteles per
speculationem motus eò progressus est juxta D. Pauli sententiã Epistola ad
Rom. c. 1. v. 20. ut de Deo divina hæcce proferret verba; ἐν μὲν ἄρα καὶ
λογῶ καὶ ἀριθμῶ τὸ πρῶτον κοινῶν ἀκίνητον ὄν, unum ergò tum ra-
tione, tum numero primum movens est immobile existens, l. 1. Metaphys.
cap. 8. & l. 2. de gener. & corrupt. cap. 10. v. 59. σιωπελῆρως ὁ
θεὸς τὸ ὄλον; ἐντελεχῆ ποιήσας τὴν γένεσιν. Item l. 1. Politic. cap. 8:
ex Homero Iovem vocat πατέρα ἀνδρῶν τε θεῶν τε, βασιλέα τούτων
ἀπάντων, patrem & regem hominumq; Deūm q; φύσει γὰρ τὸν βασι-
λέα διαφέρει μὲν δεῖ, τῶ γένει δὲ εἶναι τὸν αὐτὸν, ὡς περ πέπονθε τὸ πρεσ-
βύτερον πρὸς τὸ νεώτερον, καὶ ὁ γεννήσας πρὸς τὸ γεννῶν, id est, na-
tura enim excellere Regem oportere, genere autem esse eundem, quod accidit
seniori ad juniorem, Parenti ad filium. Item l. 1. A Metaphys. cap. 2. ait:
ὁ θεὸς δοκεῖ τὸ αἰτιῶν πάντων εἶναι καὶ ἀρχὴ τις, Deus causa omni-
bus esse videtur & principium. Et Scal. l. 3. de re Poët. cap. 3. ex. 3. l. 1.
Quæcunq; sunt, Dei Opt. Max. beneficio sunt. Hinc δυνατώτατος αὐτοκρά-
τωρ, παντοκράτωρ, ἀυτεξέσσιος: ex. 365. l. 2. & 4. Nunquam
homini felicis ingenij satis fuerit, cogitare omnia immensa, ingentia, magni-
fica de cause hujus ineffabili potestate, ex. 365. l. 9. Adeo ut Christiani cando-
ris interfit, primum opificem in cœlicis oculis contemplari.

pag. 156. ex Plin. l. ii. hist. cap. 2. Omnia ab illo facta, qui solus in se est, Hic solus id reservavit privilegij, ut esset omnium causa, semper causa, solum causa, nunquam effectus. Piccol. de rer. definit. pag. 108. Idem ille Deus, neq; otiosus, neq; negotiosus, neq; in opere, neq; extra, sed sine opera operis caput, principium, medium, finis, Scal. l. 2. de plantis pag. 455. Et ex. 254. Deus Opt. Max. Efficiens omnium & Finis, ipsius autem Efficiens nulla, finis nullus. Deus inquam, est causa sine causa, Ens sine Ente, mera namq; Essentia. ex. 359. l. 2. Deniq; Deum esse omnium rerum ultimum finem necesse est, quia in omnibus causis deveniendum tandem est ad primam aliquam, in qua sistendum: & quemadmodum Scal. loqui placuit ex. 307. l. 20. oportet in unoquoq; motu esse unum & primum. alias etenim daretur progressus eius ἀπειρον ὁ Φύσει ἢ Φύσει: τὸ μὲν δ' ἀπειρον ἀτελές, ἢ δὲ Φύσει ἀεὶ ζητεῖ τέλος, id est, infinitum. enim imperfectum & in determinatum. Natura autem semper querit finem, ut docet Arist. l. 1. de gener. animal. cap. 1. Quare idem l. 2. Metaphys. cap. 10. inquit, πρὸς ἓν πάντα συντέτακται, ad unum omnia coordinata sunt. Omne itaq; quod est, propter aliud est, quam propter se, excepto uno solo Deo. Igitur omnia propter illud unum sunt, quod non est propter aliud. Ergo erunt omnia propter Deum: quia Deus non est propter aliquid aliud praeter se. Scal. ex. 250. Concludimus ergo Deum primam omnium Entium Efficientem & Finale esse causam, cujus a nutu singula pendent & gubernantur, qui suam unicuiq; largitus Essentiam, tamdiu eam tuetur, quantum ipsi libet. Dicimus eum causam externam esse, non quod ab ulla re excludatur, sed quod nullius rei Essentiam, ἑαυτὸς constituat, quod Scal. eleganter expressit ex. ult. l. ult. dicens: Deus est intra omnia, non tamen inclusus in ipsis, extra omnia, non tamen exclusus ab illis: sic intus hac, qua regit, extrinsecus creavit.

I.

An ex simpliciter non Ente fiat Ens, & contra?
Negamus.

Sermo hic nobis non de Creatore qui, quâ libertate voluntatis, & immensitate potestatis ex nihilo tanti operis fabricam effecit, ita eandem etiam destrueret rursus, & ad nihilum revocare potest, ut pote cujus potentia est illimitata. Ideoq; à nihilo ad aliquid nullo negotio proficere potest. De creatura loquimur, quae ab illo tota dependet, tam juxta Essentiam, quam existentiam. Finis a parte est potestatis. Igitur ἀδύνατον est ei à non Ente ἀπλῶς

ad ἀπλῶς Ens proficisci. E contra quicquid à nihilo non potest ad
aliquid, pari ratione ab aliquo ad nihil haud valet transilire. Inter nihil e-
nim & aliquid infinitus jacet hiatus, qui expleri non potest, nisi ab infinito.
Scal. ex. 43. & 37. f. 27. & ex. 307. f. 14. & 356. Par quippe ratio creatio-
nis & corruptionis. Scal. l. 1. de plantis, pag. 54. Substantias itaq; à Deo
factas à creatura Dei posse redigi ad nihilum: absurdissimum itaq; omni Phi-
losophi à detestandum est, Scal. ex. 43. f. 1. Connimb. 1. Phys. cap. 4. q. 1.
art. 8. Propterea sicuti hujus nutu facta sunt universa ex nihilo: ita quoq; ab
eodem opifice, stupendo incendio, supra extraq; omnes naturae leges solventur,
ut nihil ejus, quod nunc est, sit reliquum: sed ad nihilum abeant omnia, ut no-
vum subeat coelum, omnia nova, etiam materia nova. Scal. ex. 61. f. 5. & 6.
l. 1. de plant. pag. 91. 455.

3.

Utrum omne Ens habeat essentiam? Sanè.

Definitur namq; Ens quod sit aliquid reale positivum essentia sua constans.
Adhuc, omne quod est, per essentiam est. Zab. l. 2. post. ad cont. 5. Quod
igitur non est, ei nec essentia quidem. Zab. ibid. ad cont. 3. Et quidem per
essentiam propriam, non alienam. Scal. ex. 307 f. 14. Duo enim aliàs essent
annum, quod ne fando quidem accepit quisquam. Scal.
dicto loco. Ἀπλῶς ἀδύνατον, εἶναι ἀνευ τῆς οὐκείας ἰδιότητος
κασον. Aristot. 6. Top. cap. 6. At differentia propria non nisi
ab essentia. Scal. ex. 359. f. 2. Et Arist. l. 2. de anima cap. 4. t. 36. αἰσ
ἢ ἔσσιαν εἶναι τὰ εἶναι πᾶσιν; essentia causa est seu principium in-
ternum omnibus. Arist. l. 8. Metaphys. c. 4. τὴν ἔσσιαν appellat φύσιν
naturam Entis. Et l. 2. Metaph. c. 4. & coet. vocat τὸ τὴν εἶναι quid-
ditatem rei, quando namq; quid res sit cognovimus, ejusdem essentiam per-
cepimus. unde Arist. l. 2. Metaphys. cap. 10. & Scal. ex. 307. f. 22. in-
quit, definitionis bonae, quae instrumentum est Logicum explicanda essentiae
& quidditatis partes, partibus essentiae debere esse adaequatas. Quandoqui-
dem ut se rei habet τὸ εἶναι, ita quoq; se habere necesse est τὸ εἶδέναι,
juxta Philosophum l. 1. min. Metaphys. cap. 1. Quare genus mate-
riae, differentia formae rationem & proportionem teneat, si vult Ens per su-
am essentiam sit definiendum: ubi non videndum quid homo possit in rebus
definiendis, sed quid posse deberet? quia enim plurimarum rerum forma &
materia itidem eundem latet, pro materia quidvis, pro forma accidentia
aut inseparabilia, aut separabilia arripiens, in definitione loco differentiae
seu formae ponere consuevit. Hinc Scal. elegantur inquit, quis me doceat, quid
sit

fit substantia, nisi illis miseris verbis, res subsistens? Corpus quod tangi potest? Dicatur mihi, quid est Caninitas, Afinitas, Leonitas. Iam equidem notum est nobis horum quidvis, quam quod ignotum. Definiamus lapidem ipsum, qui praepedibus est. Nugae. Terram definimus a soliditate ac pondere, Ignis quid est? Substantia quae ad concavum Lunae fertur. Hoc habes a sensu: quid illa ipsa substantia sit plane ignoras. Et l. 12. nego tibi, inquit, ullam formam nobis notam plenè & planè: nostramque scientiam esse umbram in Sole. Formarum enim cognitio est rudis, confusa, nec nisi per περιπέτειας. Et ex. 101. l. 14. forma essentia latet nos, quemadmodum & aliae multa ac fortasse omnes, In magno enim periculo versamur, ne nullam veram teneamus definitionem, ne nostra scientia repat humi per tenebras circa sola accidentia.

4.

Omnisne ἡ οὐσία ἀδιαίρετος? Omnino.

Verisimile est quod Averroes censet in 5. Metaphys. Pythagoricos nomine parisi & impari materiam & formam ad umbrasse ob similitudinis rationem. Numerus enim par, cum in duo aequalia dividuus sit, aptus est divisioni, & refert materiam. Item impar, quia sectioni minus est idoneus, formae assimilatur, quae divisibilitatem non admittit, nexuque & stabilitatis causa est. Colleg. Connimbr. l. 1. Phys. cap. 3. q. 1. art. 3. Dicis? An non anima crescente corpore crescit? Anima ergo, potissima pars essentiae, non est ἐν ἀδιαίρετῳ καὶ ἀτόμῳ. Audi tu. Quemadmodum non augetur spongia, cum post compressionem laxata diffunditur, nihilo enim major est, sed fusior: sic forma, cum se extendit in materiam novam applicatam, promovet sese, non augetur. Quicquid augeri aptum est, augetur ab aliquo adveniente connaturali. Quotus ergo quisque dicet augeri formam? An ei formae sese afferet nova cognata portio? Scal. ex 101. l. 15. Qui idè alio in loco de brutarum formis dicit: licet divisibiles sint propter quantitatem materiae, essentiam tamen illorum divisibilem non esse. Porro, si Entis essentia divideretur per illam divisam, non unum Ens, sed duo aut plura constituerentur. Vnius autem Entis unam esse essentiam par est, cum omnis διαίρεσις debeat fieri in Entia ἀντιδινημένα. Hinc essentia rei comparatur puncto, quod si divisibile esset, non punctum, sed punctatum esset.

5.

Num ἡ οὐσία ἐνδέχεται τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἧττον?

Nulla modo.

Substantia namque rei est sicut numerus, cui nihil addi aut detrahi potest si-

ne speciei mutatione. Zab. libel. de mist. c. 13. Arist. l. 1. n. Meta. c. 3. Idem 2.
Meta. affirmat, in individuis ejusdem speciei non esse prius & posterius, neq;
nobilius & ignobilius secundum essentiam. Dicit Philosophus secundum essen-
tiam. Nam Individuum unum altero perfectius & nobilius est secundum di-
spositionem aut conditionem quandam extrinsecam. Secundum vero inter-
nam & essentialem perfectionem non est nobilius & perfectius; quoniam ea-
rum quae continentur eadem specie, par est dignitas & perfectio $\xi\sigma\tau\omega\delta\epsilon\sigma\varsigma$.
Hinc Scal ex. 101. s. 10. ci. , essentiam si quis majorem minoremve dixerit, is
prelicenter nimis abutetur patientia sapientum.

6.

Sit ne omnis $\xi\sigma\tau\omega\delta\epsilon\sigma\varsigma$ $\alpha\kappa\omega\iota\nu\acute{o}\nu\eta\tau$? Est sanè.

Qui negant & sibilis & ferulis digni. Vnius namq; Entis essentia si una &
imparibilis est secundum Scal. ex. 268. etiam incommunicabilis sit necesse est.
Præterea, sicut unum quodq; Ens ab altero est distinctum, ita distincta quoq;
habet $\xi\sigma\tau\omega\delta\epsilon\sigma\varsigma$. Si distinctam, certè salva hujus Entis essentia non poterit com-
municari alteri Enti, cujus salva quoq; maneat essentia: cum propria qua-
tenus propria nunquam sint communia. Attende. Si Asinus suam communicet es-
sentiam Bovi, sanè Asinus desineret esse Asinus, & Bos fieret simul & Asinus & Bos.
Atq; ita non esset unum, sed duo Entia, quorum unum appellaretur Asinus,
alterum Bos. Vnde apparet usq; adeò essentiam alicujus Entis esse alteri Enti
incommunicabilem, ut posito etiam essentiam alteri communicari, illud al-
terum non unum maneat, sed duo fiat Entia, atq; ita etiam duas distinctas
possideat Essentias: quae si distinctae, profectò etiam incommunicatae sunt.

7.

An Entis Essentia consistat $\epsilon\nu\ \tau\acute{o}\ \mu\eta\ \epsilon\nu\alpha\varsigma\ \eta\ \sigma\epsilon\gamma\epsilon\iota\omega\zeta$?

Absurdum.

Sed querunt: Vnitas cum definitur privatio divisibilitatis in se, & com-
municabilitatis in alio, an non quadam Essentia tunc dicatur consistere
 $\epsilon\nu\ \tau\acute{o}\ \mu\eta\ \epsilon\nu\alpha\varsigma$? Privationis enim esse est non esse. Ast expeditio
facilis. Inquit subtilis Scal. Authori hujus definitionis cum verba deessent, qui-
bus poneret unitatis Essentiam, quod rectè sentiebat, per privationem, ut po-
tuit, non ut voluit, demonstravit. Fieri certè non potest, ut privatio sit Essen-
tia rei positiva. Vnitas verò adeò est positiva, ut sit idem realiter cum Entitate.
Quocirca necessario cognoscitur ejus Essentia in positive, non in negatione.
Ad quam negationem sequitur primùm altera pars descriptionis hujus, quae
est indivisibilitas. Est enim non essentia constituere unitatem, sed affectus

consequens: à qua indivisibilitate oritur incommunicabilitas. Tàm verò difficile est unitatem designare definitione, quàm Entitatem. Sunt enim prima, ante quæ nihil est. Igitur per posteriora quod reliquum est sapientes explicarunt. Scal. 65. l. 5. Et Aristoteles nostræ subscribit sententia lib. 1 de partibus animal. cap. 3. ubi ait, ἀδύνατον τὴν εἴησιν εἶναι διὰ φύσιν. id est, impossibile est privationem esse differentiam seu formam & essentiam alicujus rei. Aliàs Entis principium οὐστικὸν esset non Ens, quod ἀφιλόσοφον. Quippe Ens per suam essentiam hoc est quod est. Iam si essentia alicujus Entis esset non Ens: Ens foret non Ens. Nugæ.

8.

An ex Accidente possit fieri substantia, & contra?
Negamus.

Quia causa semper nobilior est effectui. Et impossibile est deteriorem causam nobilissimum producere effectum. Deterius autem esse accidens substantiâ notissimum est. Ideoq; etiam. Arist. 1. citato c. 3. inquit, ἀδύνατον καὶ ἀτόπων εἶναι, ἢ εἶναι ἐκ τινῶν μὴ ἐξ ἑστικῶν εἶναι? id est, impossibile & absurdum videtur substantiam, si ex quibusdam constat, constare ex non substantijs. Manifestum ergo, quemadmodum ex accidente non substantia, cum hæc toto genere sit præstantior accidente, ita nec ex substantia posse fieri accidens. Confer. Scal. ex. 6. l. 5. & 1. 1. de plantis pag. 333. Item ex. 10. & ex. 307. l. 27.

9.

Num naturaliter ex corpore fieri possit spiritus, & ex spiritu corpus? Ἄτοπον.

Quemadmodum solius Dei est ex nihilo aliquid efficere, & ex aliquo nihil: ita solius Dei est ex spiritu efficere corpus aut ex corpore spiritum. Vi namq; nature nunquam quantum transmutari potest in non quantum, neq; ex non quanto fieri potest quantum. Porro, causa non potest deterior esse effectui. Spiritus a, omnis longè nobilior est corpore, utpotè qui propius ad divinã accedat naturam. Adhæc, quia in utroq; potentia nulla est, quæ directâ sit eò ut alterum in alterum mutetur, sed hæc concessa est à sapienti natura, ut ex corpore & quodam spiritu, nempe forma naturali unum corpus naturale componatur, unumq; patientis subjecti, nempe corpus, alterum agentis formæ, nempe spiritus vicem sustineat. Præterea, spiritus & corpus contrarijs carent qualitatibus, quibus in se invicem agant & mutantur. Claret ergo ex spiritu non

An corpus possit esse in corpore?

Neutiquam.

Diretur enim corporum penetratio, quod absurdum. Ratio est, quia sunt continua. Continuum autem dimensiones quatenus continua, non possunt dividi, ita ut continuitas & unitas maneat. Quamprimum enim continuum dividitur, non amplius continuum est, nec amplius unum. Ergo sunt duo vel plura. Si itaque corpus non potest penetrare corpus, quomodo eadem inerit? Insuper, unum non est duo, nec duo sunt unum. Ergo in uno corpore non erit aliud, aut si erit aliud, aliam quoque habebit essentiam. Ideoque distinctam, & per consequens in alio ubi. Et sic duo corpora in uno erunt loco, quod à Φιλόσοφον. Nullum ergo corpus quatenus unum continuum est, est in alio corpore uno & continuo. Arist. 4. Meteor. & 1. 2. de anim. t. 4.

11.

Omne ne Ens finitum? Omne.

Omne enim Ens pendet à prima causa, quae sola est infinita. Scal. ex. 359. l. 3. Reliqua igitur omnia sunt finita. Sunt autem finita, primò essentia, quia unum tantum est infinitum. Deinde sunt finita magnitudine. Sunt finita numero. Quantitas namque non potest excedere essentiam. Scal. dicto loco. Quia extra unum sunt infinitum. Sunt denique finita potestate, virtute & perfectione. Præterea omne Ens est in suo πᾶ: Hoc enim est affectus necessarius omnibus Entibus. Scal. ex. 359. l. 5. & ex. 6. l. 2. Quod autem infinitum est, non in certo ubi, sed ubique est. Hoc verò uni tantum competere potest. Nihil enim infinito æquale potest esse. Aequalitas namque est certa ratio mensurae. At infiniti mensura nulla. Duo infinita nequeunt esse, neque in natura, neque extra Naturam. Essent enim duo principia prima. Scal. ex. 359. l. 3. & l. 10. Et hinc Damasc. l. 2. Orthod. fid. πᾶν κτίσμα δὲ τῶν κτισμάτων ἐκ τοῦ Θεοῦ ὀπίσθηται, id est, omnis creatura à creatore suo terminatur.

12.

An omne Ens perfectum? Maximè.

Quia omnia à DEO. DEVS autem summum bonum & perfectum est.

B

A sum-

A summo autem bono, non potest, nisi summum bonum, in unoquoque
 genere aut ordine Entium, proficisci. Homo namque in suo genere
 summè bonum est: & Musca, & Cimex: in suis quicq; circumscriptionibus
 essentialibus. Non enim essent hoc quod sunt: nisi in summo suo, ut Scal.
 ex. 249. l. 3. loquitur, essendi essent. Præterea, quicquid est, per
 suam essentiam est. Essentia verò efficit, ut & Ens, & unum, & bonum,
 & totum sit. Si enim non est totum, ne est quidem. Totum verò & per-
 fectum idem. Est enim unumquodq; totum sibi, & perfectum: cum eo-
 rum, quæ habere debet, nihil desit ei. Itaq; ut nihil est simpliciter per-
 fectum, nisi DEVS; ita nihil est, quin in suo genere sit perfectum. Nam quid
 illud: andem est, quod est sibi ipsi alienum? Hoc autem esset, si non id esset,
 quod est. Imperfectum scilicet nondum est. Et aliud à se ipso, quando est. Planta
 nihil abest, quo planta esse debeat. Si esset imperfecta, nunquam natura
 quiesceret, quoad extremum finem imponeret generationis & τῆ
 ἐνδελεχείας imponeret ἐντελέχειαν. Scal. lib. 1. de plant. p.
 107. Omnia igitur quia perfecta, nihil iis addi potest. Perfectum enim,
 secundum Scal. ex. 249. l. 1. cui nihil addi potest, nihil adimi, nihilq; ef-
 sentia mutari. Verum. An non DEVS novi quicquam possit creare &
 addere? Ait Scal. subtilis. ex. 249. l. 3. Possit. Sed nolit posse: quia
 se ipsum argueret imperfectioris operæ, quam in priore opere posuisset. Ad-
 huc subtilius, inquit. Idem dicto loco, atq; supra quotidianarum intelle-
 ctionum limites transeamus. Dico tibi: Cum rei perfecta, ac infinita
 sua potentia perfectione, quippiam perfectionis adjunxerit DEVS: standum
 illi esse aliquando, & ab operis illius auctione cessandum. Non enim po-
 test ipse facere Ens Essentiâ infinitum. Faceret enim alium DEVM.
 Quare dicendum est: DEVM quidem posse facere semper aliquid melius.
 Rem autem ipsam, non posse suscipere illam infinitatem. Neq; enim est iis
 in rebus nostris. Frustra namq; est hic apud nos potentia, quæ non ha-
 bet, in quod exerceatur. Nam potentia hic & actus, sunt relativa. At DEI
 potentia ad nihil refertur, sed sua solius est, & ipsa sibi, & hoc, quod est,
 & hoc omne, quod sunt omnia. Nulla ergo species, seclusâ rerum
 collatione, quæ imperfecta sit, inveniuntur. Scal. l. 1. de
 plant. p. 107. & p. 153. & p. 154.

FINIS.



AD

Præstantissimum Dn. M. præsidem,

NEC NON

Ornatissimum Dn. Respondentem, ami-
cos meos singulariter hono-
randos.



Agnus es ingenio LIPPI: Namque illa
propinas,

Quæ rude non quodvis imbibit in-
genium.

Dum septemgeminas subtilis acuminis artes,
Et *Sacrum* illud amas enucleare *Sophos*.

Quis, quæso, dubitat, num sint exacta, disertè
Quæ profers, cum sis divitis ingenij?

Tantus es in studijs sacris, tantusque prophanis,
Ut, si optare queam, quantus es, esse velim.

Inde sedes *Charitum* primos nunc inter alumnos,
Dum multi in *Ipreto* stantvè cubantvè loco.

Ejus & ingenij es (quantum scio) docte *PELARGE*,
Scis *Meta* qui *physicas* solvere ritè plicas.

Ecce

Ecce Theses ponis re, succo & sanguine plenas,
Queis de cum doctis differuisse cupis.

LIPPIUS est præses; Respondens tuque retundis,
Quæ reliqui obtendunt: Sic benè vergit opus.
Eja age perbellum pulchrumque erit hocce duel
lum,

Quod dux & miles fortis uterque gerit!
Surge animo nunc forti, animæ pars altera surge,
Rejice quod pravum est, & tueare bonum.

*Pro rei veritate
scribebam*

Henricus Decimator
Magdeburgo-Saxo,



Ecce

05 A 495

ULB Halle 3
004 208 064



WMA





